



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XXIV. Julii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

B. Petrus Eremita & Monachus Ordinis Sancti Benedicti cælitus Jerosolymam vocatus, precibus & legatione magnam Palæstinæ partem recuperavit. Multum ei mundus debet, tam nobilem Deiparam colendi modum edoctus, primus enim orandi ad globulorum numerum (nos rosarium dicitur) modum invenisse fertur. *Ranbeck.* Magna ex his orbibus orbis accipit beneficia.

P. Petre, ora pro me Matrem misericordiarum; scio peccatis meis poenas deberi plusquam æternas, sed in ejus miseratione, quam erga peccatores habet, maxime spero, quod suâ intercessione illa mihi à Filio gratiam impetrabit, ut priusquam moriar, ex corde convertar. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinites te saluto: te omni possibili omnium possibili-
lium, &c. f. 190.

Ad quod impetrandum ducentas viginti quinque aspirationes, si vacaverit, eo fine dicam, ut omnia corporis membra, totidem numero, Mariam laudent.

Ad Mariam velut ad fontem properet anima nostra sitibunda, ad hunc misericordiarum cumulum totâ sollicitudine miseria nostra recurrat. *S. Bern. ser. 4. de Assump.*

Quæstio: Quis primus Rosarii Mariani inventor fuerit.